



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

284. Quæ sint pænæ scienter, aut ex crassa & affectata ignorantia eligentium indignum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 282. Quenam sint poena eligentium clericorum scienter, & spontaneè admittentium laicos ad coeligendum?

Respondeo duarum: nimirum suspensio ab officiis & beneficiis per triennium, & privati vocis activi. *c. quisquis. h. r.* ubi haec poena hoc ordine statuuntur eligentibus per abusum saecularis potestatis; jam vero, dum laicus non tantum Princeps usurpans sibi auctoritatem & jurisdictionem in electione, sed & privatus scienter admissus coeligit, est una species (quarum reliquis vide apud Fagn. *ad cit. c. quisquis. num. 12. & Pass. c. 8. num. 5.*) abusus saecularis potestatis. Idem Fagn. *n. 22.*

2. Porro prima poena est sententia ferenda per iudicem, ut indicat *rd suspendantur*, neque enim *rd penitus* adiectum importat canonem latae sententiae, ut sensus sit: ipso iure auctoritate huius canonis suspensio pronuncietur. Innoc. *hic in fine, v. suspendantur. Fagn. loc. cit. n. 10. Pass. cit. c. 8. n. 8. & apud illum Suar. Bonac. & alii.*

3. Secundam poenam esse latae sententiae, tenent Suar. Laym. *ad cit. c. quisquis. Fagn. ibidem* citans Host. Bellamer. Jo. And. & c. ita ut, dum textus dicitur *per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati &c.* Sensus sit: ipso iure sicut privati voce activi pro hac vice, quominus haec electio facta per abusum saecularis potestatis irrita, ad aliam procedere possint, & dein suspendantur ad triennium. Laym. *loc. cit. ne si dicatur, esse sententia ferenda, utpote sequens & supponens suspensionem, efficeret hunc sensum: suspendantur per triennium, & tunc seu eo tempore, nempe per triennium sint privati, ut vult gl. in altera respons. quam sequitur Abb. hic in fine & Pass. l. c. n. 18.* citans plures alios: ne inquam, si id dicatur, admittendum sit illud minime conveniens huic canonis, nimirum posse Electores illos, antequam suspendantur, procedere ad aliam electionem.

Quaestio 283. Quenam sit poena electi consentientis tali electioni, qualiter extendenda, & a quo dispensabilis?

Respondeo ad primum, quod commodo illius electionis (ut pote ipso iure irrita) careat, & ineligibilis fiat, nec possit absque dispensatione ad aliquam eligi dignitatem *cit. c. quisquis.* Porro est haec poena latae sententiae. *gl. hic v. fiat. Laym. loc. cit. Fagn. loc. cit. n. 4. & 5. citans Abb. Innoc. Host. Butrio, & c. Pass. cit. c. 8. n. 15. citans Sayrum in clavi regia. l. 3. c. 8. n. 26. Suar. & c. contra Barb. ad c. quisquis. n. 7. & Bonac. d. 3. q. 4. p. 1.* nam licet verbum illud fiat videatur futuri temporis, est tamen futuri immediatis subauditur enim adverbium *tunc.* Fagn. *loc. cit. Bald. hic n. 4.*

2. Respondeo ad secundum: imprimis non recte extendi poenam huius canonis ad recipientes dignitatem de manu laici, ita ut hi vi huius canonis reddantur ineligibiles (quidquid sit de eo, num ex praxi Ecclesiastica, alii sive canonibus hoc canone antiquioribus eam poenam incurrat, ut arbitratu Laym. *loc. cit.*) Suar. *loc. cit. d. 3. l. 3. n. 4. Pass. loc. cit. n. 27. contra Abb. Fel. Azor. & c.* Quos citat & sequitur Laym. In penalibus enim non est extensio facienda casus ad casum, etiamsi alter casus contineat gravius peccatum; cum saepe leges minora peccata puniant, vel quia frequentiora, vel quia occasiones scandalorum. Unde etiam contra poenam aliorum canonum constituta recipientibus immediate di-

gnitatem de manu laici, v. g. excommunicatio, non recte extenduntur ad consentientes electioni sua facta per coeligentes laicos. Dein non recte extenditur ad beneficia alia, quae dignitates non sunt; lex enim poenalis extendi non debet ultra clara verba; hinc tamen talis manet eligibilis ad canonicatum etiam Ecclesiae cathedralis, ad beneficia curata, & c. Laym. *loc. cit. n. 7.*

3. Respondeo ad tertium; dispensare posse in hac ineligibilitate Episcopum. Innoc. Abb. Imol. Felin. quos citat & sequitur Laym. si enim canone permittente dispensationem non exprimitur, quis dispensare possit, dispensare poterit Episcopus, ne alius frustra adicerentur verba illa permissiva dispensationis; cum constet, Papam dispensare posse. Laym. Barb. *hic n. 4. Butrio, & c. ad c. si clericus de adult. Azor. Bonac. & c.* quos citat & sequitur Pass. *loc. cit. n. 26* contra Fagn. *loc. cit. n. 8.* probabiliter sententem contrarium, eod quod poena hac ineligibilitatis imposita sit a Concilio generali, in cuius lege non dispensat Episcopus, neque etiam in *cit. canone* tam permittatur dispensatio, quam prohibeatur, ne sine dispensatione promoveatur. Porro censetur Papa tacite dispensare in dicta inhabilitate, si talem provideat de illa dignitate, in quam se intrudit taliter electus; secus est de inferiore Papa, qui non censetur dispensare in hac habilitate, etsi posset, nisi saltem praemisisset cognitionem super causa dispensationis. Abb. *hic n. 2. Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 28. citati a Pass. l. c. n. 26.*

Quaestio 284. Quenam sint poena eligentium scienter (vel etiam cum ignorantia directe voluntaria, hoc est, crassa & affectata, intermittendo cum industria inquisitionem, ne defectus eligendi appareat; haec enim ignorantia scientiae equiparatur, arg. c. ult. de clandest. desponsat indignum, hoc est, talem, quia a ss. Canonibus prohibetur eligi, v. g. ob defectum aetatis, morum, scientiae, &c.

Respondeo privantur voce activa seu potestate eligendi pro ista vice tantum, & suspenduntur a beneficiis (non officiis, *gl. & Host. in c. in cunctis. h. r.*) per triennium *cod. c. ubi licet solum fiat mentio de eligentibus indignum ad dignitatem Episcopalem, poenam tamen illam privationis locum etiam habere in eligentibus indignum ad praelaturas & dignitates inferiores, satis colligitur ex posterioribus iuribus. c. dudum. h. r. ibi gl. v. in Ordinibus. c. perpetuo. c. quanquam. h. r. in 6. ibi gl. v. secus & Abb. num. 11. Addit Pirh. n. 43. citans c. dudum. & c. quanquam h. r. & Laym. in cit. c. in cunctis. num. 4. & de electione q. 63.* quod dato poenam illam privationis in re communi non esse latam contra eligentes indignum ad inferiores Episcopatu praelaturas, si in Ecclesia collegiata sive saeculari, sive regulari eligatur indignus praelatus, Episcopus possit privare Electores pro ista vice iure eligendi, & ipsemet iure devolutionis providere illi Ecclesiae de Praelato. Secus tamen est de poena suspensionis, quae solum incurritur ab eligentibus scienter indignum in Episcopum, ut expresse habetur *c. si compromissarius. h. r. in 6.* Ubi etiam haec poena suspensionis ab eligentibus indignum incurritur solum quoad beneficia, quae obtinent in Ecclesia, in & pro qua facta est electio, utpote, quam eligendo indignum specialiter offenderunt *cit. c. compromissus. Abb. m. c. cit. in cunctis.* De cetero utraque poena est latae sententiae, seu incurritur ipso

ipso jure. Pirh. n. 43. ad h. t. Primum habetur c. quamquam. h. t. in 6. & c. annotuit. h. t. juncta gl. v. nullam. Secundum c. si compromiss. Porro qualiter easdem poenas incurrant conferentes indigno, vel confirmantes electum indignum, Vide apud Pirh. an. 43. & seq.

Questio 285. An, qui alium eligit ad praelaturam, in qua obtinenda illum simoniam commisisse novit, praeter dictas poenas incurrat ad huc aliam?

Respondeo praeter triennium, quo talis suspensus est à beneficiis, quæ in illa Ecclesia jam obtinuerat, esse inhabilem ad dignitatem vel beneficium aliud in illa Ecclesia (non verò in alia) obtinendum c. per inquisitionem h. t. Verum ista inhabilitas ad beneficia obtinenda accessorie sequitur ipsam suspensionem à beneficiis obtentis, ideòque etiam secundum illam regulari, & restringi debet dicta inhabilitas, nimirum respectu beneficiorum obtinendorum in illa Ecclesia tantum c. eod. Abb. ibi. n. 8. Pirh. n. 64. h. t.

PARAGRAPHVS V. De qualitatibus eligendorum.

In presenti quaeretur de iis solum qualitatibus, quas specialiter respicit electio; actum enim est fusè in prima parte de cæteris, quæ in quolibet promovendo ad praelaturas & beneficia, sive per viam electionis, sive per viam præsentationis, & institutionis, aut etiam liberæ collationis requiruntur; puta de ætate, sanitate & habilitate corporis, scientia, legitimitate, libertate, monogamia, fide, clericatu, sacris Ordinibus, carentia censurarum & infamiae, &c. Unde in presenti vix aliud superest examinandum, quàm de voce passiva privatis, de rejectis femel ab electione, de indistinctis ab eligentibus, de extraneis, seu qui non sunt de gremio, de non professis respectu dignitatum regularium, an sint eligibiles. Unde sit

Questio 286. An ipso jure privatus voce passiva, vel redditus inhabilis ante sententiam declaratoriam criminis (de privato enim per sententiam, vel etiam per sententiam declarato; quòd commiserit crimen, pro quo lata est pœna privationis vocis passivæ, constat eum ab electione excludendum, ejusque electionem esse evidenter nullam) possit ab electione excludi vi, & impediri, ne eligatur. De cæterò enim dubium non est, quin Electores pro libitu suo possint talem, ut & quemcumque alium nolle eligere.

Respondeo negativè; scilicet neminem unquam excludi posse, præterdendo, quòd sit voce privatus, aut inhabilis redditus, nisi servatà formà judicii sit privatus voce, vel declaratus reus criminis per sententiam (& quidem talem, quæ transierit jam in judicatum, seu cujus effectus non sit suspensus per appellationem; privatio enim vocis, passivæ non est censura, quæ non suspenditur. Suar. de relig. ro. 4. tr. 8. l. 2. c. 2. l. n. 13.) cum sit adhuc

in possessione sui juris & eligibilitatis, quæ per vim privari nequit. Pass. cit. c. 25. n. 600. ubi etiam, & n. 602. ait Superiores non posse ex propria scientia vel arbitrio talem excludere ab electione, uti nec præcipere Electoribus, ne talem eligant, nisi ordine judiciario præmissis eum per sententiam (ad quam ferendam specialiter requiruntur indicia reum convincentia. Sigism. à Bon. dub. 91. n. 9. Pass. n. 601. illiusque citatio, & interrogatio. Clar. l. 5. q. 8. §. fin.) vel privent voce, vel declarent, eum commisisse crimen, cui annexa est dicta pœna privationis ipso facto cum licet Prælati regulares in judicando non ita sint adstricti apicibus juris, servare tamen debeant substantialia Clem. sepe. de verb. signif. Ab. in c. dilectus. Nav. l. 2. conf. 1. de sent. & re judic. Rodrig. Sigism. à Bon. & c. apud Pass. qui etiam n. 603. de rationem disparitatis, cur superior, etiam extra judicialiter informatus de Electi infamia, possit eundem repellere à confirmatione; non verò sic possit eum excludere ab electione, quia nimirum confirmatio, non autem electio commissa est arbitrio Superioris.

Questio 287. An Electores præcisè ratione privationis vocis passivæ, nondum declarata per sententiam, teneantur in conscientia talem excludere (intellige) negativè, nimirum non eligendo?

Respondeo negativè: Talis enim privatio confertur illis occulta; quia non cõstat illis de ea juridicè. Pass. n. 604. quin etiam peccabunt contra justitiam vel charitatem, si prætextu talis delicti adhuc occultis, illum manifestando, illum non eligant. Nihilominus quoad quæ per accidens tenebuntur talem non eligere, ratione nimirum scandali, dum is de delicto est diffamatus.

Questio 288. An inhabilis ipso jure, aut privatus ipso jure voce passiva, ante sententiam declaratoriam teneatur in conscientia non consentire electioni, aut confirmationi; vel si consenserit, & receperit praelaturam, illi renunciare?

1. Respondeo primò: quaestionem hanc gravissimam pendere ex generali illa, nunc lex penaliter lata sententia ferat secum executionem, obligetque in conscientia ad exequendam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis, de quo vide Suar. de LL. l. 5. c. 9. Sanch. de matr. l. 9. d. 30 & l. 2. sum. c. 39. Pass. cit. c. 25. q. 51. Negativam, excipiendo censuras, præter quam plurimos tenentidem Pass. Sanch. Laym. l. 1. tr. 4. c. 15. Mol. to. 1. tr. 2. gl. 96. Sa. v. fiscus Sylv. v. aff. finus. n. 4. Covar. l. 4. decret. p. 2. c. 3. §. n. 10. &c.

2. Respondeo tamen secundò breviter in specie ad quaest. propositam negativè; sic in terminis propriis de pœna privationis vocis activæ & passivæ tenent Graù p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. d. 13. §. 2. n. 15. Mol. loc. cit. n. 8. Armil. v. lex. n. 1. Castell. de elect. prælud. l. n. 20. Peyr. in suad. q. 2. c. 2. §. 11. conc. 3. Bass. v. panna. n. 7. Castrop. p. 1. tr. 4. d. 4. p. 4. n. 4. Dian. p. 1. tr. 19. r. 76. 24. De pœna verò inhabilitatis in terminis præter Mol. Bass. Peyr. loc. cit. Sanch. in decal. l. 2. c. 39. n. 32. Navar. Villalob. Lezan. & plures alii cit. à Pass. n. 626. Quinimo semper desiderari sententiam declaratoriam criminis, etiamsi lex imponens pœnam non tantum utatur particulis istis: ipso facto; sed aliis